



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

LVIII. Differentia 2. Iure Canonico non licet jurare per creaturas, nisi
quatenus reperitur expressum, ut per Evangelia, altare & per crucem,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA 1.

Iure Canonico non licet jurare per creaturas, nisi quatenus reperitur exprefsum, ut per Evangelia, altare & per crucem, c. Considera, c. Habemus 23. q. 1. Iure civili autem licet jurare per quaslibet creaturas, praterquam per membra Dei, c. Si quis per capillum, 22. q. 1. Auth. Ut non luxur. hom. con. nat. c. 1. §. Et quoniam, l. Qui per salutem, ff. de iur. iur. Bart. 23. Ioann. Bapt. à S. Blas. 76.

I. S. Hieronymi doctrina est in *c. cit.* Considera, lib. 1. in *c. 5. s. Matth.* Considera, quòd hic Salvator non per Deum jurare prohiberit, sed per cœlum, & per terram, & Hierosolymam, & per caput tuum. Et hoc quasi parvulis fuerat lege concessum, ut quomodo vultimas immolabant Deo, ne eas idolis immolarent, sic etiam jurare permitterentur in Deum, non quòd rectè hoc facerent, sed quòd melius esset id Deo exhibere quàm dæmonibus. In *c. seq. Concil. Carthag. IV.* decretum allegatur, quo clericum per creaturas jurantem acerrimè objurgandum dicitur, & si perstiterit in vitio, excommunicandum. In *c. 10. 22. q. 1.* pœna decernitur, si quis per capillum Dei, vel caput juraverit, vel alio modo blasphemiam contra Deum usus fuerit, ut, si in ecclesiastico ordine est, deponatur, si laicus anathematizetur. Morem jurandi per Crucem, & similia indicat, *c. 2. 22. q. 5.* Qui pejerat in manu Episcopi, aut in cruce consecrata, annum unum pœniteat. Contra errorem quorundam in *c. 10. 22. ead. q. 5. August. ait:* Dico charitati vestræ, & qui per lapidem falsum jurat,

perjurus est. In quibus omnibus indubitus jurandi modus, abusus, scandalum, aliave adjuncta prohibitioni causam dedisse videntur.

II. Inter leges extat *Auth. Ut non lux, hom. con. nat.* in qua Iustinianus Imp. præcipit abstinere à verbis blasphemis, & jurare per capillos Dei, caput, & his proxima verba. In *l. Qui per salutem, Vlpianus vult,* quòd per salutem suam jurans, licet per Deum jurare videatur, nihilominus, si non ei specialiter ita delatum est, non juraverit, & ideo ex integro illi jurandum esse. Sed his sepositis veram Theologorum doctrinam attendamus, juramentum per se, & simpliciter lege divinâ non prohiberi *ad Rom. 1. v. 9.* Per creaturas autem tunc nefas est jurare, quando illis numinis quædam dignitas tribuitur: in Deum relata juratio culpâ vacare potest. Sic enim tactis Evangelis, cruce, aliavè re sacrâ juramus, *v. s. Thom. 2. 2. q. 89. art. 6. Soto l. 2. de iust. q. 4. art. 3. Navar. c. 12. n. 5. Armilla v. Iurare, n. 3. & seq. Suar. l. 1. de iuram. c. 6. szor. 1. l. II. c. 3. q. 5.*